Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1724)
Liſez 1424

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis tertiâ Martii.

M. FRANCISCO PIJART, Antiquiore Scholæ Magiſtro, Præſide.

An natura paucis contenta?

NULLUM corpus unum eſt. Sed variis ex corporibus variâ motione concitatis adornatur. Si unum eſſet nihil à ſe pateretur, ſed tantùm ab iis quæ extrinſecùs occurrunt. Lex enim eſt à Deo poſita, rem unamquamque eodem manere ſtatu, niſi vi alterius rei, ab eo depellatur. Concinnatum corpus variis ex corporibus, & à ſe & ab externis violatur. Hinc viventium corpus diverſis objectum mutationibus. Hinc accretio, μείωσις, αὔξησις, & tandem mors. Plantæ nonnullæ quarum compages intima tenacior, diutiùs ſubſiſtunt. Animantium corpus citiùs collabitur. Humani, præ cæteris celerior eſt ruina. Quaſi vita, quæ actionum ſtat multitudine, perſeverantiæ brevitate compenſari debeat. Plantæ ſtabiles nec loco motæ, diſſipant minùs; longè ampliùs animantia, quæ & longè majori inſtrumentorum apparatu inſtruuntur & moventur loco. Homo præter res cum animantibus communes, cùm mentem divinæ particulam auræ, obtineat, diſſipationis efficaciorem cauſam obtinet. Hanc triplicis corporis mutationem, rei, quæ alimentum dicitur, adjectione, reparari neceſſe eſt, ad fugacem tutelam tantùm, non ad diuturnum præſidium.

CORPORIS humani œconomia humidis & ſolidis partibus conſtituitur & regitur. Illæ conſtant nuſquàm, ſed uſquè evaneſcunt. Hæ videntur quidem conſiſtere, ſed revera ejuſdem ſunt conditionis. Hoc eſt cum ex ſemine liquido ortum trahant, & ſanguine humido conſerventur: à fluidis figurantur particulis, quæ ita colligantur, ut humiditatis motu amiſſo, duritiem oſtendant. Sed mobiliſſimus, & omnia pervadere aptiſſimus ſpiritus; ſolidas concutiens particulas, primò commovet, dein convellit, dimovet poſteà. Quæ humidæ ſunt, cum ſint ἄγγεια, & inteſtinâ, quam facit ætherea materia, cieantur motione, elabi nuſquàm ceſſant, maximè per cutis ſpiracula. Brevì itaque rueret homo, ni perditam reponeret ſubſtantiam. Quod ſi oblitus aut coactus omittat, durat tantùm aliquot dies, ſeptem, decem, duodecim raro ultrà. Hujus termini differentia, à ſolutioris aut compactioris, rarioris aut denſioris ſtructuræ differentiâ, nec non à ſpiritûs mobiliori aut moderatâ indole. Spiritus duplici re continetur aere & tenuiori ſanguine. Ut vigeat diùque perſeveret nec tenuis ſit nec craſſus, ſed ſuperficiem habeat pro ratione molis non ita magnam. Hic agit ſe admovens minimis fibris, actione atteritur, attritus avolat, languidumque reddit corpus. Attritio in remotione partium conſtituentium. Sanguis & reliqui humores ſivè ſanguini admiſti, ſivè ab eo ſeparati, effluere nituntur & revera effluunt, celeriùs quidem, ſi aqueâ humiditate ſint expediti. Hos etiam inertes prædatur aer, ſivè inſpiratione receptus, ſivè extrinſecùs per poros intruſus. Adeo ut effluvii duplex compareat cauſa æquè accelerans, aer externus, & intima incitatio; cui adjungitur cordis pulſio, omnium quæ in corpore fiunt pulſionum vehementiſſima.

DEPERDITA ſubſtantia reparatur cibo & potione. Utriúſque ſollicitum evadit corpus, duplici impreſſione in ſtomacho, & in faucibus. Pluſquàm mirabili artificio nondum intellecto, & nuſquam forſan intelligendo, organa diſpoſita, egeſtatem & deſiderium cibi & potionis efformant. Quæritur utrumque & ingeritur, pro modo famis & ſitis, quaſi fames & ſitis omnibus partibus providerent, non ſibi ſolis. Cibus & potus ventriculo concluſus coquitur, ſubigitur, digeritur, non fermentatione, quæ nulla ſecundùm naturam, non ebullitione, quæ ſoliûs eſt cordis, ſed ſolâ diſſolutione quæ à re diſſolvente pendet. Hæc ventriculi fundum occupans omnes commiſſi cibi partes ſubit, penetrat & ſejungit. Concitatur ad id opus, impetu ſpirituum animalium, qui jugi nervorum plexu confluunt in ventriculum. Et rei ſolventis, & rei ſolutæ conjunctione, tertium genus corporis emergit, ab utróque diverſum, alias adhuc diſſimilitudines paſſurum antequàm in utilitatem & auxilium partium abeat. Non ſe liberat ventriculus materiâ quam adparavit, niſi cùm hæc eadem liquidior contractas fibras laxans, ſpiritus contractionis autores, aut fugat, aut diſſoluit, aut agit præcipites. Liquida hæc moles ab inteſtinis coercita, aliquatenùs ſiccatur, ſecretâ aqueâ humiditate. Inde venulæ bene multæ velùt antliæ ſugunt & exhauriunt liquorem, aliis vaſis tradendum. Quod ſupereſt, ſiccatur magis, excrementum amovendum.

QUOD nutrimentum in ſolatium & molem partium acceſſit, poſt aliquot quietis momenta deperit, & deperire cogitur. Res nutriens vacuitatem occupans, cohæret & permanet, ſed frequenter concuſſa à liquidis continuò allabentibus, cedit fracta vel integra. Integra redit in venas. Fracta nuſquàm venis reddi apta, propter amiſſam molem & mollitiem debitam, ejicitur inſenſili tranſpiratione. Scilicèt corpus minùs grave, magis gravibus innatans, ab iis depellitur. Sed reſarcitur hæc abitio, novâ & ſimili appoſitâ materiâ, quæ effluenti debet quantitate reſpondere. Pauca omnino huic officio ſufficit, cum jactura, quam faciunt partes non tanta ſit. Hæc ita æſtimari debet, ut minima detrimenti portio iis aſſignetur, licet plurima fiat deceſſio. Diſtinguenda diminutio ſolidarum partium, à diminutione humidarum, quæ multum ſuæ ſubſtantiæ à naturâ deperdunt. Licet corporis ſenſu, appoſitio metienda reputetur, non tamen regula omnino certa. Ventriculus nempe conſuetudine abreptus, quaſi præjudicatâ opinione teneretur, plus cibi plerùmque petit, quàm expedit reſarciendo damno. Peccatum tegitur bonitate corporis, cibi redundantiam propria vi expellentis, nullo conſecuto incommodo. Corpus ſi ſit debilius, labefactatur cibo ſupervacuo, aut opprimitur. Quæ eſt intemperantiæ turpis calamitas. Peccati medela, obſervatio. Hâc ſæpiùs iteratâ compertum, paucam admodum nutrimenti copiam, corporis damna reficere, integram valetudinem afferre & fovere, vires augere, immunitatem à morbis dare, & longam vitam largiri.

NATURA ſcilicèt paucis conſervatur & valet. Ratio, duce obſervatione, nutrimentùm procurans, quantitatem inveſtigat & metitur virium robore, & corporis alacritate. Licet una & communis omnibus obtineri non poſſit menſura, propter multiplicem temperamentorum diſparitatem, debilibus tamen & ad ſenium vergentibus, cibi modus obſervatione definitur duodecim unciis aut paulò ampliùs; additâ eâdem potionis ſive aquæ & vini conjunctìm quantitate. Ad hanc regulam reducentur cibi & potiones eorum, qui laboribus dediti corpus excercent nimio plùs, aut ſtudiis vacant immodicè. Adeò ut quò vegetior eſt natura, & corpus acerbiori exercitatione recaleſcit magis, cibi & potionis menſura concedatur amplior. Conſiſtendi occaſio, virium integritas, functionum omnium libertas expeditiſſima. Beneficium quæſitum ſi non obtineatur, augendi nutrimenti eſt opportunitas. Si oppreſſio ſuccedat aut aliqua impeditio, minuendum. Hâc arte nutrimenti paucitas invenitur, longè infra eam quantitatem quam indulgens conſuetudo permiſit. Ut à praviſſimâ conſuetudinis regulâ recedant, qui ultra modum gulæ ſunt addicti, & optimam mediocritatis normam ſequantur, ſenſim circumcidendus cibus & potus, ſic convenientem ſibi facient menſuram, additis aliquot unciis debilium menſuræ. Hujus laboris merces ampliſſima, floridus faciei color, ingenii præſtantia & ſuavitas. Nec uniûs præ aliâ, regionis eſt hæc mediocritas, cum in Ægypto æquè ac in Europâ obſervati ſint viri ſapientes, qui cibi librâ unâ vitam traxerint felicem & diuturnam.

Ergo natura paucis contenta.



Proponebat Lutetiæ LUDOVICUS DE VAUX, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1689.